



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 3. in jactabundos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

## PHILIPPICA III.

In Jactabundos.

## DOMINICA III. ADVENTUS.

*Tu quis es? quid dicis de teipso? Ioann. I. v. 19. & 22.*

Quid Deus, quid homo.



Divinissima est illa doctrina, quam Divæ Catharinæ Senensi ab incarnata sapientia traditam scribit Surius 29. April. Si nôsti filia,

quis sum ego; & quis tu, beata eris. ego sum, qui sum; tu es, quæ non es. Deus semper idem, homo

Job. 14. v. 2. ps. 38. v. 6.

*nunquam in eodem statu permanet;*

Deus unus omnia, homo nihil: *substantia mea tanquam nihilum ante te,*

Deus veritas, homo inanitas, *universa vanitas omnis homo vivens.*

Eccel. 1. v. 14.

Deus lux indeficiens, homo umbra;

psal. 101. v. 12.

declinans: *dies mei sicut umbra declinaverunt;* homo fugit velut umbra;

Deus verbum in æternum permanens; homo vocula momento evanesce.

Sapientissima proinde Joannis fuit ad quæstionem propositam: *tu quis es? quid dicis de teipso?*

responsio: *non sum; non sum; non sum; ego vox;* utinam hæc vox auribus & animis multorum hæreret,

qui dum ultra, quàm oportet, volunt sapere, desipiunt; dum seipsis majores esse ambiunt, non sunt,

qui sunt; & sunt, qui non sunt. Ingens rationalium creaturarum amentia, quòd sibiipsis somnia & umbras fingant, dicantque de seipsis, quòd nec sunt, nec futuri sunt.

Princeps angelicorum Spirituum Lucifer quid dicis de teipso? *ero similis altissimo.* imò eris, qui non es,

ex angelo pulcherrimo draco turpissimus in profundissimo gehennæ

barathro. Tu quis es hominum primicerie Adame, quid dicis de teipso? sicut dii scientes bonum & malum, imò ignorans teipsum, & nesciens, quòd nudus, quòd cæcus, quòd miser sis ac miserandus, quid tu de te Nabuchodonosor? plus quàm homo; imò minùs quàm homo, sed bos in cornibus scænum gerens. quid tu Alexander Macedo? Jovis filius, imò Philippi Spurius. ita fit, ut qui, qui non est, se jactitat esse, definat esse qui est. Contra jactantiam itaque dicturus id unum opto precòrque, ut jactent gloriosuli, audivisse se hodie, quid sint, & quid dicere habeant de seipsis.

Nihil inanius nocentiùsq; est, quàm propria laus & jactantia, quæ certissimam cerebri cordisque prodiit vacuitatem, nam sicut vas, quod vacuum est, majorem sonũ expulsi reddit unde lemma: *tinnit, inane est.* ita grandiori tono laudes suas ebuccinant ac tinniunt, qui inanes sunt; ligna, quæ multum fumi dant, parum fovent flammarum; aves, quæ clamoris multum, minimum ferè carnis ac saporis habent; canes, qui multum latrant, minùs mordent; nõ strepentes, sed silentes aquæ, dicuntur profundæ; multum clamoris parum lanæ dicebat rusticus, cum suem tonderet. Similiter minus veræ pietatis, scientiæ, gratiæque divinæ habent, qui inaniter de eadem sese jactitant. Non habet jactabundus tantam solidæ laudis materiam, quantam alij, quibus-

S. 2.  
Jactabundus semper invenitur minus habens

buscum comparare se deberet, habuere; non habet tantum scientiæ, quantum Salomon vel Aristoteles; tantum fortitudinis, quantum Samson vel Milo Crotoniates; tantum pulchritudinis, quantum Absolon vel Paris; tantum felicitatis, quantum Saul vel Giges vel Pompejus, tantum pietatis, quantum David vel Petrus; & tamen Salomon in fine vitæ scientiam laudemque suam ita diminuit, ut se stultissimum virorum appellaret; Aristoteles Euripum non capiens, in Euripum, ut multi scribunt, insilit; Samson in lusum Philisthæis; Milo in prædam lupis cessit; Absolon & Paris in flore ætatis defloruere; Saul fervili manu interemptus; Giges crucifixus; Pompejus à mancipio decollatus est; David in turpissimum adulterij; Petrus in negationis crimen prolapsus abunde docuere, de nulla securè sese hominem jactare posse excellentia. Si de exterioribus sermo est talentis, à bestiis superamur, ut fusè enumeravit D. Isidorus orat. de humil. qui rebus externis gloriantur, in ijs à bestiis superantur. magnâ corporis mole præditus es? quæ est hæc, si cum elephanti mole comparetur? & tamen elephantem mus fatigat. fortis es? & intrepidus? at leo longè te superat, de quo scriptum est: leo fortissimus animalium ad nullius parvebit occursum. & tamen leonem gallus terret. Cantu ac vocis modulatione insignis es? at cygnus, luscinia & plurimæ vocales aves majus miraculum in suo cantu excitant, quæ tamen passim habent elogium: vox est prætereaque nihil pulcher es? & parvo insigni pulchritudine præstat, & aves aliæ multæ pulchritudine gloriantur. at pedes respice & erubescere. arte aliqua præstas? quid in hacre apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra possit imitari, & tamen le-

vis fumus fugat apes ac opus omne impedit. tenui ac subtili veste uteris? hic te superant aranei, & quid te ipsi evisceras? celeritate pedum vales? rursus primatum tenet lepus. acuto visu præditus es? non ut caprea. acutè audis? at acutiùs asinus. acuto es odoratu? canis te superat. ad canes, ad asinos, ad capreas, ad lepores, à jactabunde, quibus cum de palma concerta, & asinorum jubulum expecta.

At nunquid speciosis sese verbis dilaudarunt Samuel 1. Reg. c. 2. & 3. Ezechias Rex 4. Reg. 20. Memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate. David toto psalmo centesimo decimo octavo. Job. toto cap. 29. oculus fui cæco, & pes claudus, totòque cap. 31. Paulus 2. Tim. 4. bonum certamen certavi, abundantius illis omnibus laboravi. 1. Cor. 15. v. 10. Respondet S. Gregorius lib. 12. moral. c. 16. in auribus Dei superba non sunt, quæ humili corde proferuntur. Monet proinde Augustinus in ps. 98. & 102 etsi imperfectis ostentare thesauros suos non expediat; nè illos amittant, nec recitare bona sua, quamdiu in vita sunt; nè illis contingat, quod gallinis, quæ mox ut ova pepererunt, clamore suo Dominos excitant, qui ova edita illis auferant; perfectis tamen & magnis viris licitum est, non solum bona sua recogitare; sed etiam illa alijs pronuntiare, quando svadet necessitas gloriæ Christi, vel ad id urget pia utilitas proximi, modò illa dona Dei agnoscant, & per illa humilientur, & sine aliorum contemptu, qui tales non sunt, imò cum magna eorum commiseratione cogitentur. hæc enim non vanitas est, sed charitas, nec virtutum defectus, sed profectus.

Quàm noxia porro sit jactantia, damno suo expertus est Herodes

§. 3.  
Jactantia  
des

noxia, quia  
perdit omnia.

des Rex, & Concionator, ut Lucas Actor. 12. à v. 21. memorat; qui, quòd honorem Deo non dedisset, percussus ab angelo & *consumptus à vermibus expiravit*. Experti ante Herodem jactantiæ exitium sunt Apollonius, Nicanor, Antiochus turpissimâ morte consumpti, ut legere est lib. 1. Machab. c. 3. & 2. Mach. c. 8. & 9. ante hos Core, Dathan, Abiron absorpti à tetra, quòd jactantiæ pascerentur aurâ. Expertus est detrimentum jactantiæ Balthasar Dan. 5. ante Balthasarem Nabuchodonosor Dan. 4. ante Nabuchodonosorem Ezechias 4. Reg. 20. ante Ezechiam Saul 1. Reg. 31. ante Saul Pharaon Exodi 14. omitto Goliathos, Nabales, Amanes, Holofernes, innumerosque alios, quos sua perdidit jactantia, fecitque non esse, quod erant. Ezechiam Regem præ cæteris venerabilis Beda expendit, & glorioforum typum esse pronuntiat; *Ezechias vanè ostentans thesauros suos significat servum DEI, dum virtutes suas vanè gloriæ prodiderit, mox eas perdere, inque demonum dominium thesauros bonorum operum infelici commutatione transferre*. Et cur Ezechias non punitur alio supplicio, quàm thesaurorum ablatione? *ecce dies venient, & auferentur omnia* v. 17. cur nõ igne, peste, morte? quia jactantia aufert virtutes & spoliat hominem, sicut viatorem Jerichuntinum latrones despoliarunt. Gallinæ glocitanti inscribitur: *dum prodit, perdit*, ita perdunt multi spem in ovo, coronam in præmio. Sicut enim, ut phrasi Gregorianâ loquar, deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat, ita spoliari cum Ezechia vult, qui divitias suas ostentat. In templo Domini & arca inaniter gloriabantur judæi, utrumque perdidere. Primogenita ovium tonderi vetuit Deus intonsaque immolari, quia ut

D. Gregorius lib. 8. c. 34. moral. explicat, opera nostra per jactantiam denudari non debent, sed integra Deo dicari. Apud Arvernos conjuges duo castimoniam laudabili exemplo conservarant, cùmque uxor moreretur, & jam tumulo conderetur, exclamavit maritus: gratias ago Deo meo, quòd conjugem illi meam reddam virginem. & ecce vox de sepulchro & Sarcophago insonuit: *sile, sile vir Dei, quia non est necesse nostrum, nemine interrogante, aperire secretum*. timuit uxor marito, nè maritum perderet, dum proderet. Perdit enim verò omnes virtutes jactantia, pro ut in jactabundo pharisæo patuit, de quo D. Ambrosius serm. 3. in ps. 118. *non mentiebatur Pharisæus, imò etiam vera dicebat, sed omnis qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit*. ò quantum crimen superbia, ut ei etiam adulteria præferantur. Servo inutiles dicere nos debemus ex præcepto Christi Luc. 17. v. 9. ut utiles esse incipiamus: *Si te inutile esse fatearis, factus es utilis, etiamsi fueris antea culpabilis*. Chrysostomus homil. 3. in Matth.

Goliathum aiunt Talmudistæ pingvissima scommata in Davidem jactavisse, ut suam coram utroque exercitu extolleret generositatem: *veni tripalmaris pulso, & sputo oris mei suffocabo te, halitu meo difflabo te, sorbitiunculâ unâ absorbebo te, umbrâ hastæ meæ configam te*. David è contra in nomine Domini lapidem fundâ gyravit, & turrim carneam funditus evertit. cur lapide potiùs, quam alio instrumento bellico conficitur? sicut lapis in altum projectus, in alto non manet, sed recidit, & non raro projicientem ferit: *qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet* Eccl. 27. v. 28. ita verbum jactantiæ jactabundum ferit. Lapidem vidit Da-

§. 4.  
Cur lapide occisus  
Goliath.

C

niel

Philippi Hartung, Concio tergemina.

niel, qui pulcherrimam contrivit statuam, quam describit ipse c. 2. v. 45. irā conteritur calculo reprobationis divinæ jactantia humana. Jactabundum militem Augustus confixit iniquens: tu verò cum denudò è campo fugeris, cave respicias, nè lapide graviori saucieris. Sic à Deo hominibusque configuntur gloriosuli, & unde captabant gemmulam gloriæ, silicem sentiunt contumeliæ. Dicuntur Lappi ventos vendere ac emere, ventorum verè ludibrium & dæmonum cachinnus. ventos vendunt & emunt gloriosuli, ac denique sentiunt omnes conatus suos in ventos abiisse, sicut Hannonis divinitas abiit, quam per instructas improbo labore multisque impensis aviculas sibi vendicare studebat. ò verè Lappos & ventorum sibilo dignos, qui ventis sua carmina, sua facinora, sua præconia mandant.

§. 5.  
Repellit  
IESUS jactabundū.

Accessit juvenculus doctor Salvatorem, seque ad omne obsequium magnificè obtulit, sed repulit, eum IESUS & vulpi dolosæ comparavit, ut videre est Matth. 8. & Luc. 9. è contra noctu adrepit Nicodemus Joann. 3. & gratiosam impetrat audientiam, cur ita? quia jactabundus ille, hic verò timidus, quanquam & Nicodemus non tam citò ceperit sermonem Christi, quam Samaritana Joann. 4. quia, ut loquitur Chrysostomus homil. 27. in Joann. *Nicodemus multitudinis gloriā mulcebatur, quā ob rem debitam fiduciam habere non poterat*, ubi vel umbra jactantiæ, ibi nulla lux fiducia. Misertus Elifæus Sunamitidis, quòd filio unigenito orbata esset, famulo suo mandat, baculum arripere & nemine per viam salutato iter celerrimè prosequi, cur salutare obvios prohibeatur causa fuit, jactantiæ periculum, tanquam certissimum divinæ gratiæ impedi-

mentum oculatissimus vates præcavere volebat: *accinge lumbos tuos & tolle baculum, & vade*. 4. Reg. 4. v. 29. Exequitur impigrè Magistri iussa Discipulus, venit Sunam, imponit cadaveri baculum, expectat anastasin, sed frustra. puer jacet in mortuum, cadaver manet cadaver. quid hoc? an fallitur propheta? an gratiam divinam demeruit? putant Rabbini apud Lyranum violatum esse à jactabundo discipulo mandatum Elifæi, eamque jactantiam, ut loquitur Theodoretus, miraculi fuisse impedimentum. at demus servatum fuisse silentium, baculus ipse perdidit vim & efficaciam, cum absconditus non fuit. nimirum, ut Sylveira loquitur, virtus data dum glorianter proditur, deperditur. Plerumque Salvator noster fanatis à se hominibus silentium indixit, ut videre est in leprosis Matth. 8. duobus cæcis Matth. 9. Archisynagogo Luc. 8. aliisque, quia ut Pasahastus loquitur lib. 8. in Matth. *Christi Spiritus ostentationem fugit, & Chrysostomus homil. 96. certe noverat, quòd non esset ille taciturus, tamen quantum in se est fugit, ostentare quòd fecerat, docens quā esset alienus ab aura gloriæ ac jactantiæ pompa*.

Ò Jactabunde Thraso tu quis es? quid dicis de te ipso? imò quid de te alij? inflata rana es, asinus Æsopicus, graculus & gallus in fabulis. Ranam describit Vincentius Belluacensis, dum bovi par esse affectaret, rugosam inflasse pellem & sciscitatam à natis, an jam par bovi? illis negantibus magis magisque intumuit, dum denique rumperetur. Asinus Æsopicus cum repertam nescio ubi pellem leoninam sibi iniecisset, terrori quibusdam animalibus fuit, accedente præsertim ruditu insolentiori, verum ex auribus agnitus & fuste præusto exceptus, condignum jactantiæ suæ retulit præ-

Sylveira  
tom. 2. l. 4.  
c. 10. q. 26.

§. 6.  
Jactabundus  
cui comparabilis.

præmium. Graculus aquilam conspiciens, quæ agnellum in prædam clepebat, arietem & ipse involare ausus est, sed hæsit inter villos arietis, captusque ab opilione & alis mutilatus, fabula & jocus prolibus opilionis fuit, quæ cum non rarò ex graculo quærent: tu quis es? respondit pro graculo pater: ipse sibi videtur aquila esse, sed mihi graculus est. gallus gallinaceus, dum rivalem vicisset, & sub tectum pudoris ergò sese abdere coëgisset, ipse tecti vertici insidens victoriam sibi cecinit, & prætervolanti aquilæ in prædam cessit: sic vincitur victoria.

Inter instrumenta passionis gallus est, de quo Christus Petro dixerat: *antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* at quid molestiæ Christo patienti intulit gallus, qui cantu suo Petrum ad poenitentiam excitavit? symbolum, ut dixi, jactantiæ gallus est, & ruinæ Petri prænuntius. Lapsus est Petrus, & non simpliciter, sed trino negationis scelerere, ut, Origene teste, arguatur jactantia ejus per unam ancillam. *utilius ergò, inquit Tertullianus lib. de cultu fem. c. 2. Si credamus nos posse delinquere, credendo timebimus, timendo carvèbimus, carvendo salvi erimus, contra si præsumamus, neque timendo neque carvendo, difficile salvi erimus.* Per gallum monetur Petrus, ut qui per typhonem jactantiæ peccârat, per jactantiæ typum puniatur. galli à sacrificiis excluduntur in lege veteri, extra Ecclesiam pro apice collocantur in lege gratiæ, ut nôrint jactabundi, locum gratiæ & misericordiæ in templo sibi non esse, sicut ambitioso pharisæo non fuit. Res miral omnes Apostoli, qui graviore sese labe sordidârunt, galli (jactabundi inquam) fuere. Jactat se Petrus de sanctitate: *ego non scandalizabor & sanctitatem ipsam eju-*

rat ac anathematizat. Jactat se Thomas de fidelitate & fortitudine: *eamus & moriamur cum illo*, & in absurdissimam incidit infidelitatem: *non credam.* Jactat se Judas de misericordia: *quare hoc unguentum non venit 300. denariis & datum est egenis?* Joann. 12. v. 5. & ecce ipsam misericordiam triginta denariis mercator pessimus prodegit. ita delinquimus, in quo nos jactamus. jactet se Virgo de virginitate sua, diu virgo non erit; jactet se Religiosus de probitate sua, probtis non erit; jactet se dives de eleemosyna sua, diu munificus non erit; priusquam gallus cantet bis, ter virtutem jactabundus negabit; priusquam bis se jactet ambitiosus, ter contra eandem virtutem, cujus ergò sese jactat, peccabit. Magna jactantia, magna ruina. Gallum in arbore sedentem, suamque scientiam, quâ mutationes aëris Astrologis omnibus certius prænotisset jactitatem, & fortè illud Jobi repetentem: *quis dedit gallo intelligentiam: convenit vulpes,* laudavitque astrorum peritiam & quandam divinitatis prærogativam: *ò liceat mihi divinum tuum rostrum deosculari, quo secuturas aëris vices uatidicè auguraris.* complacuit sibi in dolosa vulpe gallus, & rostrum vulpi ad osculum porrexit, sed interceptus à vulpe & dilaceratus interiit. Sic ludit dæmon & mundus cum ambitioso: *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt* Jf. 3. v. 12. Sobne sacerdoti summo, qui inter pellices sicut inter gallinas gallus gallinaceus (ut putat Cornelius) agebat, & in suo fimeto cristas attollebat, minatur Isaias c. 22. v. 17. *ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus,* qui cum ligatis alis pedibusque in forum vernalis deferretur, demittit cristas, & pisce magis mutus conticescit. Asportari te faciet ò jactabunde Deus &

C 2

in

Matth. 26.  
v. 34.Job. 38. v.  
36.

in contemptum ac confusionem sempiternam vœnumdabit, qui jactantiâ tuâ enormem supremo Regi ac Domino contemptum intulisti.

S. 7.  
Jactantia  
sui est con-  
temptus  
DEL.

*Jactantia sui est contemptus Dei*, inquit Theophylactus; cum enim quis non Deo, sed sibi sua bona tribuit; quid hoc aliud, quàm negare Deum est, & ei adversari? propter hoc enim, quòd confidunt in seipsis, non totum hoc Deo tribuunt; sed alios per hoc exinaniunt. quare mirum non est, si Deus resistat: *tanquam contumeliæ suæ propulsator veluti suscipit adversus superbos speciale certamen* S. Ambrosius serm. 7. in ps. 118. at quis unquam restitit ei, & pacem, victoriam, felicitatem habuit? quis duellum cum

Deo iniit, & seipsum non ferit, perdiditque? denique nè nimius sim, infigat supremum jactabundis aculeum apud clarævallensium: *Nemo vestrum velit laudari in vita, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris.* Ad malam crucem cum his furibus, ad Amanis patibulum cum ejusmodi thraasonibus, ad corvorum odæum cum talibus ebuccinatoribus, ubi suas semper laudes audiant procrastinari.

S. Bernardus serm. 13. in cant.



## PHILIPPICA IV.

In inhospitales Iesuli Hostes.

### DOMINICA IV. ADVENTUS.

*Videbit omnis Caro salutare Dei, Luc. 3. v. 6.*

S. I.  
Quomodo intelligendum, quod omnis caro videbit salutare DEL.



**O**mnis carnis nomine homo intelligitur, qui caro propterea appellatur, ut acutè notavit Hieronymus in c. 40. v. 5. *Isaiæ quia prius, ante Christi adventum, Spiritum Sanctum non habebat.* Omnis ergò homo videbit Salutare Dei, quod os Domini locutum est. at quando videbit? in die novissimo? ità quidem Augustinus, Gregorius, Remigius, Antonius Paduanus sentiunt; obstat tamen, quòd Isaias & Ioannes de primo Christi adventu agant, non de secundo. Aptius proinde Cajetanus verba Prophetæ non de vi-

sione actuali, sed de potentia videndi accipienda existimat, quia videri ab omnibus Salvator poterit, quantum ex parte Salvatoris est, qui omnes ad se venire desiderat; imò ab omnibus ipsemet recipi in hospitium cordis postulat, stat enim ante ostium & pulsat. *aperi mihi soror mea sponsa;* quamvis ex omnibus paucissimi sint futuri, qui videre salutare Dei seriò desiderabunt. *Amor oculus est, & amare videre est,* inquit D. Augustinus; videre Iesulum nolumus, quia nolumus amare. quod primitus humanato Deo accidit, idem sibi hoc anno, in hac urbe natali suâ luce accidere senti-

Cant. 5. v. 2.

S. Augustinus de grad. charitat.

et,